

modis; I. *materialiter tantum* quomodo falsum profert
is, qui putat id, quod profert, esse verum, cum enim h. I.
falsitas insit rei præter intentionem dicentis, non nisi ma-
terialiter falsum dici putatur. Et ille non mentitur. Nam
distinguendum est inter *mentiri & falsum dicere*. Qui men-
dacium recitat & putat se verum dicere, profert ea, quæ
cum re non conveniunt; falsum igitur dicit quidem, sed
non mentitur, quia is demum mentitur, qui non fatetur
id, quod corde sentit & habet intentionem fallendi. Is
verò qui ex ignorantia recitat mendacium, talem inten-
tionem non habet; ideò de eo dici nequit, quod men-
tiatur. II. Falsum potest quis proferre *formaliter tantum*
ut si quis proferat id cum animo & intentione falsum pro-
ferendi III. Falsum profert quis *materialiter & formaliter simul*.
Quando non tantum dicit id, quod in se falsum
est, sed etiam cum intentione fallendi. Jam ad rationem
mendacii sufficit, ut quis proferat falsum formaliter, sive
illud materialiter etiam falsum sit, sive non. Ratio in-
promptu est, quia moralitas alicujus actus, potissimum
æstimatur ex animo & intentione agentis, cum igitur is,
qui verum dicit, putans id esse falsum, idque eo animo
proferat, ut sub ratione falsi alios decipiat, ille habet
omnino animum alios decipiendi, utut illud verum sit,
formaliter tamen dicit falsum & mentitur: contra autem
ad rationem mendacii non sufficit, si quis materialiter
saltem dicat falsum, hoc est, proferat id, quod falsum in
se est, putans tamen id esse verum, quia hoc loco abest
omnis intentio falsum proferendi. Ex quibus omnibus
liquet, quod quis verum dicendo mentiri possit, & fal-
sum dicendo non mentiri, prout scilicet cujusque sese
habet animus.

§. XXIII. Dicitur (2.) quod *mendacium sit falsa*
signi-